

# HENR. STEPHANVS

## LECTORIS

**Q**uam variae, quibus distineor, occupationes e medio studio-  
rum cursu me reuocassent, nec, quod illis eripere tempus pote-  
ram, ad serua tractanda satis esset: interim quod dabatur, ac-  
cipiens, eas Anacreontis odas, quas iam ante Gallicas feceram,  
in aliquot amicorum gratiam Latine quoque aggressus sum ver-  
tere. Iam vero extrema manu operi imposita, quum eo reus  
deductam viderem, ut, quae meis intimis dicaueram, cum ex-  
ternis etiam communicanda forent: quo plures huius mei labo-  
ris futuri essent participes, eo maiorem cautionem, et diligen-  
tiam, adhibendam mihi existimaui. Feci itaque non inuitus,  
ut, quae vertendo hoc poëta, tanquam aliud agens, observa-  
ram, ea in commentariolum redigerem: quo, tum meae inter-  
pretationis alicubi rationem tibi redderem, tum etiam in locis  
difficilibus labore meo tuum aliqua ex parte subleuarem. Vale:  
si quid nouisti rectius istis, candidus imperti: si non, his utere  
mecum.

